

gi omnino, suam vim, pretium, ac dignitatem non obtinere; propterea quod ignoti essent fontes, unde scita, & consultata illa omnia deducta, ac corrivata fuissent. Id nos perspicere certo potuimus cum in theologicis consultationibus, quæ identidem nobis præsentibus habebantur, tum in privatis colloquiis, quæ sæpe varias ob causas cum Ecclesiasticis hominibus ferebamus; maxime vero quoties ad examen accedebant sive minores Clerici, sive Pœnitentiæ Administristri, sive Parœciarum petitores, ut de singulorum scientia cognosceremus.

Hanc porro tantam, tamque damnosam incertitiam considerantibus nobis, atque, ut par erat, dolentibus, multa ad eam depellendam oberfabantur. Erant qui opportunissimum fore censebant, Academicam instituere, in qua per intervalla temporum disputandum esset de iisdem rebus, uti passim fieri in litteratorum conventibus solet. Verum, præterquam quod haud facile inveniri poterant viri laboriosi, impigri, & idonei, eo numero, qui ad conflandum cœtum Academicum requiritur, id semper habent incommodi ejusmodi Academicæ, quod, uno dumtaxat laborante, otiantur ceteri, quæque ille apte, copioseque proloquitur, aut non subeunt audientium animos (nisi si jam eruditi illi sint, & iisdem rebus exculti,) aut cito effluunt, ad summum rudem tantummodo, & indigestam post se notitiam relinquunt: nunquam vero late manant, nec ad notitiam publicam, uti opus est, propagantur. Alii alia subiciebant, quæ longum esset hoc loco enumerare.

In tanta consiliorum multitudine, ac veritate, visum nobis inire viam intentatam hæcenus, & qua non alia fortasse planior, & expeditior. Usu enim ipso edocti, ad recte administrandam civitatem, atque diœcesim, proponenda subinde esse populo aliqua Edicta; ea nos exarare instituimus, non, ut alii solent, sola præcipiendi formula, sed arte quadam, & apta ad erudiendum methodo, præceptorum scilicet causas, & fundamenta commonstrantes, disciplinam Ecclesiæ veterem, recentioreque explicantes, ea demum expromentes omnia, quibus non solum permoveri quisque posset ad imperata facienda, verum etiam rationes disceret, propter quas unaquæque res injuncta esset, aut vetita, idque nullo suo labore, & incommodo.

Hoc institutum, quod legentibus quidem facile, at nobis, tametsi diu in ejusmodi rerum tractatione exercitatis, laboriosissimum accidebat, brevi intelleximus, Deo nostra cepta secundante, magis reipublicæ utilitates asserre. Excepta approbatione omnium se-